



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa
Sacramenta, accuratè declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1664

Sect. II. De Benedictionibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13826

tiam illam declaratoriam. Non tenetur conjux innocens expectare hanc sententiam, sed statim post duas vel tres admonitiones potest propria auctoritate ab eo divertere, imo debet si ex cohabitatione sibi aut liberis perversionis periculum imminere perspiciat: ita Auctores citati.

VI. *Variis casus.* Quæres sextò: Apud quem, factò divortio, educari debeant filii, & cujus expensis? Si divortium neutrius conjugis culpâ factum sit, sed vel mutuo consensu, vel culpâ utriusque, ut si uterque sit hæresis damnatus, vel alter hæresis damnatus, alter adulter, & velint divertere, non compensatis delictis, proles triennio minor à matre educanda est, triennio autem expleto à patre.

Quid si alter sit infidelis. Quando verò alterius culpâ celebratum est divortium proles manere debet apud partem innocentem, si non sit infidelis; tunc enim manere debet proles apud parentem fidelem, sicut apud virum manere debet, quamvis ejus culpâ contingat divortium, si mulier transeat ad secundas nuptias, si etiam mater locuples sit & vir pauper, proles manere debet apud matrem, quamvis causam dederit divortii: unde, inquit Sanchez, si contra patrem sit dives & mater pauper, proles educari debet apud patrem, licet fuerit in culpâ.

Quando proles manere debeat apud innocentem. Si Pater causam dederit divortio proles educari debet apud matrem expensis Patris, juxta Authenticam *Ut liceat Matri & Avie*, pari modo matre delinquente educanda est proles apud patrem expensis matris; cum enim pater & mater, vir & uxor sint correlativa, dispositum in uno censetur dispositum in reliquo, etiam in lege correctoriâ & poenali: ita Sanchez l. 10. d. 20. n. 7. Filiucius t. 10. p. 1. c. 10. n. 407. Layman t. 10. p. 3. c. 7. n. 10. & alii.

tanus, Sanchez l. 3. d. 12. n. 7. addens hoc sibi certum videri, Bonacina n. 4. Coninck d. 27. d. 8. & alii; nullum enim est hac de re præceptum, sed Concilium Tridentinum ses. 24. c. 1. hortatur conjuges ut prius suscipiant benedictiones, quam consumment. Unde Sanchez cum aliis putat non esse peccatum veniale, sed solum consilium.

Benedictiones hæc dari possunt ab ordinario, vel parochò sponsi aut sponsæ, vel ab alio Sacerdote de illorum licentiâ: sine licentiâ id faciens suspenditur ipso facto ab officio, donec ab ordinario parochi absolvatur. *A quo dari debeant.*

II. Quæres secundò: An secundæ nuptiæ possint benedici? Si uterque, vel alter conjux in primis nuptiis benedictionem acceperit, non debent secundæ nuptiæ benedici: ita expressè habetur in c. *Vir*, ubi absolute prohibetur ne vir aut mulier ad secundas nuptias transiens benedicatur, quia semel benedictionem accepit. Servanda tamen consuetudo, quæ hodie videtur invaluisse ut benedictio secundis nuptiis impendatur quando alter in primis nuptiis illas non receperat: ita Henriquez l. 2. c. 2. Sanchez l. 7. d. 82. n. 15. & 23. Bonacina q. 4. p. 6. n. 4. Filiu, n. 167. & 168.

Quid si prima nuptiæ fuerint irritæ. Hæc tamen consuetudo non inducit obligationem benedicendi secundas nuptias juxta Henriquez & Sanchez, nisi neuter conjux benedictionem antea recepisset. Imo licet primæ nuptiæ reperiantur postea irritæ, non debent in secundis iterari benedictiones, cum non benedicantur nuptiæ, sed personæ. Sacerdos autem benedictionem secundis nuptiis impertiens in casibus non permissis, incurrit suspensionem, aut aliam poenam secundum delicti gravitatem: ita Sanchez num. 30. & alii.

SECTIO SECUNDA.

De benedictionibus.

I. *Suscipi ab omnibus debent.* QUÆRES primò: An, quando, & à quo impertiendæ sint benedictiones Matrimoniales? Quoad primum, datur præceptum suscipiendi hæc benedictiones, ut colligitur ex Nicolao I. in responsione ad Bulgaros, & ex Evaristo & aliis, & in omnibus diocesibus compelluntur conjuges omnes eas recipere, quod arguit præceptum: ita Sanchez l. 7. d. 82. n. 6. Filiucius t. 10. p. 2. c. 4. n. 165. Henriquez l. 11. c. 16. Bonacina q. 4. p. 6. n. 2. Sa verbo *Matrimonium* n. 6. Layman t. 10. p. 2. c. 4. n. 13. Coninck d. 27. d. 8.

Quale peccatum si eas omittit. Henriquez, & alii nonnulli dicunt esse peccatum mortale hæc benedictiones ex negligentia omittere, quod licet putem esse probabile cum Sanchez & Filiucio, probabilius tamen est quod docet idem Sanchez, Bonacina, & alii, esse solum veniale, cum illarum collatio non videatur tanti momenti. Hoc tamen intelligendum est secluso contemptu, ut si quis eas omittat, quasi vanum quid & puerile sit se iis subjicere.

Quo tempore suscipi debent benedictiones. Tempus quo suscipiuntur hæc benedictiones est ante consummationem Matrimonii, unde Divus Antoninus ait esse peccatum mortale consummare Matrimonium non præmissis benedictionibus, alii hoc affirmant de primâ vice. Probabilius tamen est non esse peccatum mortale consummare Matrimonium ante benedictiones: ita Henriquez l. 11. c. 5. n. 7. Sylvester, Caes-

SECTIO TERTIA.

De debito conjugali.

I. *Licitus est & honestus.* QUÆRES primò: An actus conjugalis sit licitus, & in præcepto? Respondetur, licitum & honestum esse, undò si vestiat debitis circumstantiis, erit meritorius gratiæ: imò etiam ex opere operato gratiam conferet quando in hoc ipso actu perficitur Sacramentum: ita Bellarminus de Matrimonio c. 5. Sanchez l. 9. d. 1. n. 3. Filiucius t. 10. p. 1. c. 9. n. 302.

Conjux tenetur reddere debitum. Quoad secundum respondetur, conjugem teneri sub mortali reddere debitum alteri expressè vel tacitè petenti: ita Sanchez l. 9. d. 2. Filiuc. t. 10. p. 1. c. 9. n. 303. Henriquez l. 11. c. 15. Bonacina q. 4. p. 1. n. 1. Valentia to. 4. d. 10. q. 6. p. 2. Layman t. 10. p. 3. c. 1. n. 2. & alii. Ratio est, quia contractus Matrimonii inducit obligationem justitiæ; unde peccat mortaliter qui se impotentem reddit ad debitum uxori reddendum. Nec sine licentiâ aut necessitate potest alter conjux domo diu abesse.

Sufficit tacita debiti petitio. Dixi expressè vel tacitè petenti; mulieres enim plerumque sunt verecundæ, unde ubi vir advertit signa quod uxor exigat, tenetur reddere sine expressâ petitione. Quod etiam de muliere respectu viri dicendum, si in eo similem pudorem advertat aut timorem exigendi ob magnam uxoris auctoritatem aut morum asperitatem. Plerumque tamen possunt fœminæ sine peccato expectare in viris expressam petitionem. Quando autem alter conjux in altero ex signis advertit periculum incontinentiæ